



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. I. Quæ requirantur ad legitimum iudicium?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

eum Canones utantur verbo, *præcipio*. Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent. Quod restringit *Bon. disp. 8. de sacram. q. 1. p. ult. n. 8.* si sint initiati majoribus ordinibus, aut habeant Beneficium, & tonsuram, vel habitum longo tempore, absque iusta causa, non gestent, tuac enim peccare mortaliter; citat que pro se *Rogin. Navar. Henrig. Vasq.* Negat tamen *Sylv. & Laym. l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari verò esse mortale, concedit idem *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 17.* & alii commun. Sed de hoc vide supra *lib. 3. cap. 3. dub. 7. de emptione & venditione.*

## CAPUT III.

*De statu & officio personarum secularium quorundam, præsertim judicialium.*

## DUBIUM I.

*Quæ requiruntur ad legitimum iudicium?*

*Resp.* Hæc tria. Primum est. Jurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, ut ex *D. Thom. 2. 2. q. 60.* habet communis. Quare peccat Judex sæcularis, si personas, aut causas mere Ecclesiasticas, ad se trahat: uti & Ecclesiasticus, si mere civiles. Nisi forte per accidens, ob defectum justitiæ in foro sæculari, aut nisi sint causæ miserabilium personarum. Porro quæ causæ dicantur mere civiles, quæ Ecclesiasticæ, & quæ

quæ mixtæ, nosse oportet iudices, & jurisperitos, potestque videri apud *Laym. l. 4. c. 2. v. Card. de Lugo d. 37. f. 3.*

Secundum, Rectus processus, v.g. ut citetur Reus, & audiatur &c. Nisi forte expediat aliquando, cum delicta sunt atrociora, in flagrante crimine deprehensos subito plectere, vel in criminibus exceptis, communem procedendi modum mutare: nam Iudici supremo (dummodo crimen sit publicum) aliquando licere, sine citatione, defensione, & omni processu, Reum morti adjudicare, eo quod factum notorium, & publicum sit loco accusatorum & testium, neque Reo jus defendendi se in iudicio relinquat, docet *Navar. c. 25. n. 10. Less. Fill. Bon. d. 10. in præceptis, q. 2. p. 2. n. 5. v. etiam Card. de Lugo d. 37. f. 5. Trul. l. 8. c. 1. d. 13.* Ubi tamen bene notandum, quod etsi talia crimina excipiantur à communi dispositione legis, <sup>scilicet positiva</sup> ~~scilicet~~ <sup>in iuris communis non tamen legis seu</sup> iuris naturæ: ideoque graviter peccare Iudicem, qui in tali processu, v.g. contra sagas, quidvis licere putat. *v. Cautionem criminalem, cap. 17. 18. 37. & seq.*

Tertium, Recta inrentio, ut scilicet procedatur ex intentione justitiæ. Unde si Iudex procedat ex odio aliove fine malo, v.g. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra justitiam, sed charitatem, aliamve virtutem, mortaliter aut venialiter, prout finis illius mortalis, aut venialis erit. *Bon. d. 10. q. 2. p. 3.*

☉(☉